



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et  
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs  
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1664**

Quæst. 7. Quot modis possit, aut etiam debeat Deus concurrere ad producendam visionem beatificam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

pium obedientiale visionis, species impressa nihilominus etiam veniet dicenda: quia etiam erit ultimum complementum principij adaequati visionis huius obiecti pro alijs, quod ipsa consti-tuet. Neque sequitur hinc, lapidem dici etiam post speciem impressam, admisio insuper, quod lapis si elebilis ad visionem caufandam, ut probabilis opinio fert: quia lapis solum habet iuxta sententiam istam virtutem omni creaturae communem ad omnes affectus possibles eleuabilem. At illa qualitas insuper haberet specialem virutem ad solam visionem eleuabilem, (a qua haberet esse speciem impressam); sicut intellectus specialem circa omne dubium propter ceteris creaturis virtutem haberet eleuabilem ad visionem, etiam stanco in dicta sententia. Ex quibus etiam patet, quid sit respondentum ad tertium.

<sup>116</sup> Ad quartum dico, speciem impressam, quam adstruimus possibilem, esse accidentis innaturale intellectui considerato secundum se, ipsi vero prout instruто lumine gloria esse convattuale. Sed esto, si ei omnibus modis innaturalis. Hinc non sequitur, esse eidem violentum, ut patet in ipso lumine, quod circa dubium est accidentis suo uno subiecto, scilicet intellectui, innaturale; nec ramen eadem violentum est. Innaturale enim dicitur, quod est prater debitum, aut etiam exigentiam naturae, violentum vero, quod contra exigentiam, & debitum naturae est. Ex quo patet, quid sit respondentum ad quintum. Quod, si quid probaret, probaret utique, nec lumen glorie, nec alia huiusmodi innaturalia accidentia possilia esse.

<sup>117</sup> Ad sextum respondeo, speciem impressam in mea sententia ne naturaliter quidem esse superflua, neddum essentialiter, ut apparebit ex dictis q.8. In sententia autem tribuente Deo influxum specialem obiectuum, eti naturaliter necessaria non est; essentialiter tamen non est superflua; cum quia, semel data, obiectum solum conferret in visionem concursum connaturalem partiale; necessariuque iam est subinde concursus speciei ad adaequatum connaturalem influxum; tum quia ex hypothesi, quod Deus negare sibi vellet specialem concursum obiectuum, species iam est necessaria simpliciter ad connaturalem influxum iuxta dicta num. 115. Sed esto non posset concurrere species ad visionem, nisi solum obedientialiter, adhuc non haberet superfluitatem reddentem eam impossibilem, ut non habent alia virtutes merè obedientiales ad effectus, qui aliunde iustificantes causas sui connaturales habent. Ad septimum iam supra est satisfactum.

<sup>118</sup> Ad octavum denique dico, esto ex sententia nostra sequeretur esse possibilem speciem supernaturalem substantialem, nullum fore id absurdum; tum quia absolute est probabile, substantiam supernaturalem adhuc per se subsistente non repugnare: tum quia aliquod complementum substantiale, & supernaturale substantiae naturalis per se subsistentis non videtur negari posse possibile propter unionem hypostaticam, qua tale quid est. Species autem supernaturalis substantialis complementum quoddam substantiae naturalis certe posset. Ceterum, ne huiusmodi quidem speciem substantialem esse possibilem, sequitur ex sententia nostria: quia species, quam nos possibilem adstruimus, cum sit quid adiectum intellectui, & ei inherens, non potest non esse quid ex suo conceptu accidentalē,

Postremò Amicus, vbi supra, reiecit unde-<sup>119</sup> cim aliorum argumentis ut parum efficacibus ad probandum impossibilitatem speciei impressae Dei, inde eam probat. Quia species impressa essentialiter ordinatur ad expressam. At species expressa Dei repugnat. Ergo & impressa. Sed vero non repugnare, sed dari de facto invidenti- bus Deum speciem expressam ipsius Dei, satis su-perque ostendimus supra disp. 17. q. 11. contra Amicum ipsum, & alios Addo tamen, eti re-pugnare species expressa Dei, supposito, quod non repugnat, sed de facto datur Dei visio, fore utique, ut non repugnare species impressa: quia non est, unde repugnet compincipium acciden-tale ex parte obiecti se habens, quod intellectui adiunctum iuuet cum ad producendum Dei visio-nem, in quocunque demum Dei visio dicatur consistere. Tale autem compincipium dicimus fore speciem impressam, quantumvis esset impos-sibilis, salua possibiliitate visionis, species expressa. Alia praeter argumenta afferit, & latè expendit Quirios vbi supra contra possibilitem speciei impressae Dei. Quia tamen omittimus; quia ex dictis iam, & ex dicendis in seqq. facile ab uno quoque poterunt dilui.

## QV AESTIO VII.

Quot modis possit, aut etiam debeat Deus concurrere ad producendam visio-nem beatificam.

Certum est apud omnes, Deum per modum, <sup>119</sup> causa primi & posse, & debere concurrere ad productionem visionis beatificae; adeo, ut haec nullatenus existere possit sine tali con-cursu. Quod omnibus omnino effectibus creatis, etiam, qui à causis secundis sunt, commune est, ut alibi ostenditur. Huiusmodi autem concur-sus liberum esse, oriundumque immediate ab omnipotentiā diuinā, non minus est exploratum, & apud omnes in confessio. Est tamen dubium, an Deus alter per modum obiecti possit, aut etiam debeat concurrere ad visionem sui, concu-su: videlicet oriundo immediatè à natura, aut etiam ab attributis, ac relationibus diuinis.

Molin. I. p. q. 12. art. 2. disp. 1. 5. Petet, & disp. 2. p. licet. Valen. punc. 2. §. Primo intelliguntur. Falol. du-bit. 9. n. 31. & 32. Soar. lib. 2. de Atrib. cap. 12. n. 19. Salas 1. 2. trac. 2. disp. 5. n. 40. Gran. trac. 4. disp. 5. sec. 4. Maturius disp. 10. sec. 2. Ripl. in manuscr. de visione. Arriag. disp. 2. sec. 4. & ali. plures, prout concursum cause primi oriundum ab omnipotentiā, alium concursum specialem, & obiectum oriundum immediatè à natura, at-tribuant Deo respectu visionis beatifica. Quem quidem concursum naturalem, & necessarium ab-erratur esse Molina, & que, ac concursum alio-rum quorumcunque obiectorum naturaliter ope-rantiam. Facetur tamen, esse Deo absolute libe-rum productionem visionis: tum quia intellectus, & lumen, à quibus ea dependeret liberè ab ipso conseruantur: tum maxime quia concursum omnipotentiae, quo ad ipsam concurrit, liber est. Consentit huic sententia Maturius supra sec. 1. fine. Probabilemque reputat Beccanus I. p. tradi. 1. cap. 9. q. 2. num. 4. Contraria tamen tenet Salas, Soar. Falol. Ripl. & alij aseuerantes, non posse

posse non per se etiam liberum esse dictum concordum obiectuum. Vtrum autem ille non solum naturæ, sed attributis etiam, ac relationibus diuinis prout condiscuntur à natura tribuendus sit, sub lite est inter Auctores, qui rem attingerunt. Negant Soar. & Fasol. Consequentius tamen, si non tunc, affirmant Maratius, & Ripal. Quorum opinionem probabilem reputat Arriaga supra; et si in oppositam ipse vergat. Adiunt Molina, Salas, & Fasol. et si Deus ut obiectum per naturam immediate concurreat ad visionem beatificam, posse tamen eum nihilominus huiusmodi concursum per omnipotentiam supplere. Oppositiū tamen sentit Ripalda cum Nazario I. p. q. 12. art. 2. contr. 4.

Iam vero secunda sententia circa propositum dubium est, Deum nequam posse in quantum obiectum concurrere ad visionem sui immediate per naturam, & multo minus per attributa, aut relationes, sed solum per omnipotentiam in quæcum causa prima, qua ratione solet concurrere ad alios effectus creatos. Pro hac sententiā refertur Scot. quodl. 14. art. 2. Stantque, quotquot absolute pronunciant, Deum non per naturam immediate, sed per omnipotentiam concurreat ad visionem beatificam. Hi sunt Beccanus supra, Herice disp. 42. cap. 4. & plures alij. Stant etiam Vazq. 1. p. disp. 42. sepe repetens, Deum non ut propriam, & specialem, sed ut generalē solum causam concurrere per se ad visionem. Cum quo iridem sentiant haud dubie, quotquot cum eodem opinantur, dari de facto speciem impreßam Dei, à nobis referendi q. 8.

Propositio I.

Deus titulo obiecti non habet vim ad producendam visionem beatificam per suam naturam immediate, & multo minus per relationes personales, aut attributa; sed tantum per omnipotentiam titulo causæ primæ.

Probatur primò. Quia soleme dogma est in Theologiâ à sanctis Patribus acceptum, solum omnipotentiam esse Deo rationem agendi eorum, quæ producit ad extra; atque ita opera Trinitatis ad extra prorsus esse indiuisa, oriunda videlicet ab una, eademque virtute, sive potentia Dei actuâ per unicam, & indiuisam actionem. Igitur nihil producit Deus, aut potest producere ad extra, nisi per omnipotentiam toti Trinitati communem. Non ergo per naturam, aut per relationes immediate potest producere visionem, aut quidquam aliud ad eam concurrens. Asserere enim, Patres, & Theologos predictum dogma ita tenuentes de huiusmodi effectibus intentionibus non agere, sed tantum de reliquis, non solum frivolum, sed irrationaliter elicimus fit exceptio absolutissimæ, atque vniuersalissimæ regula absque fundamento idoneo pro natâ occasione peccata. Et confirmari potest. Quia si personalitates diuine per se immediate concurrent ad sui visionem, ve sunt in Deo tres personalitates distinctæ realiter, ita quoque essent tres potentiae causatiae ad extra realiter etiam distinctæ. Opera item Trinitatis ad extra non essent prorsus indiuisa, quandoquidem visio Paternitatis quæ talis à solâ ipsâ Paternitate, tanquam ab obiecto procederet; aliquidque subinde diceretur Pater ad effectuonem eius conferre,

quod non conferret Filius, sive aliquo modo, quo non Filius. Quæ valde absurdâ sunt. Quod si personalitates per se immediate non sunt causatiae visionis, nec natura, nec reliqua attributa erunt: quia de omnibus est eadem ratio, ut ex dictis apparet.

Secundò probatur propositio. Quia non est de ratione obiecti intelligibilis, quod sit productum intellectus sui. Ergo quantumvis natura diuina, personalitates, & alia attributa sunt per se immediate intelligibilia, non debent esse per se immediate productiva intellectus, sive visionis sui. Consequentia est bona. Nam eodem taxat titulo ponuntur hæc ab Aduersariis per se immediate productiva visionis sui; quia sunt obiecta per se immediate intelligibilia, seu visibilia. Antecedens autem probatur primò à priori: quia, ut aliquid sit intelligibile, & verum, sat est, quod sit capax terminandi cognitionem veram; neque est, unde requiratur, quod sit etiam componens causandū. Secundò veluti à posteriori: quia, ut communis Theologorum sententia fert, quæcunque ab Angelis cognoscuntur, præter substantias proprias, aut etiam intima accidentia, nullatenus proximè, vel remotè sunt productus cognitionis sui: quia per species à Deo infusas, aut sine illis solâ vi intellectus Angelici producitur eorum cognitionis. Et vniuersim nulla maior, aut perfectior cognoscibilitas ea, quam habent cuncta obiecta comparatione intellectus Dei; cum quo tamen ad sui cognitionem effectuè illa concurreat, omnino est impossibile, ut constat. Obiecta item omnia futura, præterita, purè possibilia, impossibilia, & conditionata prout talia non solum à Deo, sed etiam ab intellectu creato cognoscibilia sunt: & tamen prout talia neque immediate, neque mediate factiva sunt sua cognitionis, ut est notissimum. Terriò idem antecedens probatur ab absurdio: quia, si de ratione obiecti intelligibilis esset producere, aut productum esse cognitionis sui, quidquid in Deo est cognoscibile, naturaliter, & necessariò, qualiter cognoscibile est, esset productum ad extra cognitionis sui. Quod licet concedat Molina cum suis, absurdum procul dubio videtur, ut plerique alii fatentur.

Nec satisfacit, quod Molina addit, productionem scilicet visionis sui esse absoluere liberam Deo; eo quod concursus generalis omnipotentiae, quo ad eam insuper concurreat, liber est. Primò: quia, si influxus obiectius in dictam visionem est substantia Dei naturalis, vt nequit Deus citra miraculum negare igni applicato suum concursum generalem, et si absolute sit liber ad illum negandum; ita nequibit sine miraculo substantia sua, que semper omni intellectui applicata est, negare concursum generalem ad supradictam visionem sui. Quo fieri, vt miraculo sit adscriendum, quod omnis intellectus creatus etiam damnatorum non videat Deum. Quod quis non reputet absurdum? Nec refert, lumen glorie ad visionem prærequisitum esse. Quia huius etiam productio erit connaturaliter debita substantia Dei eo ipso, quod hæc naturalem virtutem habet ad producendam visionem in intellectu sibi applicato: quemadmodum eo ipso, quod igni applicato connaturaliter est debita productio formæ ignis in passo, connaturaliter quoque sunt debita prærequisita ad talam formam. Miraculum igitur erit, quod in omni intellectu creato non producatur à Deo visio cum lumine ad se-

præ-

prærequisito". Vnde aliud absurdum sequitur, scilicet, visionem beatificam supernaturalem quoad substantiam non fore contra certam, sanamque Theologorum doctrinam; quia aliqui naturæ existenti debita erit. Imo inde etiam fieri, ut semel producitur intellectu creatus, confestim debita sit substantia Dei producitur visionis in illo, lumenque prærequisiti; & consequenter talis producitur materia non sit idonea liberalitatis diuinæ, propterea maneat excludita ab sphæra donorum gratiæ. Quia omnia quām sint absurdia, nemo non videt. Secundò: quia, semel posito, quod substantia diuina per se immediatè sit producitur per modum obiecti visionis sui, non est, cur illa concursu generali omnipotentia indigeat ad illam producendam; vt illo indigent causæ create ad producendos suos effectus. Sublatu autem tali concursu, qui solus secundum Molinam, & suos est per se liber, omnino manebit necessarius consensus obiectus substantia Dei. Quo fieri, ut Deus citra omnem omnino libertatem producat sui visionem in omni intellectu creato, eo semel creato; eamque cum omni intensione, atque perfectione possibili. Quod, constat, plus quam falsum esse, & absurdum. Quod autem substantia diuina, si per se est operativa visionis, concursu omnipotentia non egreditur ad eam producendam, inde probandum venit: quia, cum creature idcirco dependeant in operari ab omnipotentiâ, quia dependent in eis, consequens est, vi substantia Dei, quia in eis ab omnipotentiâ non pendet, neque pendaat in operari, si operativa est. Vnde rursus efficitur, si personalitates divinas sunt per se operativa visionis, (prout necessariò debent esse iuxta sententiam, quam impugnamus, & aliqui A. sacerdotum eius fatentur), fore, ut illæ non solum sine libertate, sed also omnipotentia concursu, sed diuisi, diuersisque profus virtutibus, & actionibus operentur visionem ipsam. Quo valde roboretur absurdum illatum n. 123.

Iam verò , quod dicunt Salas , Soar . Falol .  
Ripal . & alij , concursum obiectuum naturæ diui-  
næ , aut etiam relationum in sui visionem per se  
immediatæ , & ratione sui esse liberum , oriun-  
dumque proinde à decreto libero Dei imperan-  
te , sive mouente per se immediatæ naturam Dei ,  
aut etiam personalitates ad operandum , non mi-  
nus videtur difficile . Primo : quia solam omni-  
potentiam posuerunt hactenus Theologi subie-  
ctam in operando arbitrio diuino . Secundo :  
quia , si cognoscibilitas naturæ diuinæ , & rela-  
tionum est in ipsis ratio operandi visionem sui ;  
ut esset verum per locum intrinsecum maniferas  
illas cognoscibiles , quantumvis Deus per impos-  
sibile liber non esset ; ita esset verum , maniferas  
operatiua visionis sui . Ergo , si de facto sunt ta-  
les , independentè à libertate sunt tales . Ter-  
tio : quia reliqua obiecta in sui cognitionem in-  
fluentia , eti alias sint entia libera , non liberè ,  
sed necessariò influunt in illam , vt in Angelis vi-  
sionem sui in se ipsis obiectiuē , & necessariò cau-  
santibus iuxta sententiam Theologorum com-  
munem cernere licet . Ergo , si natura diuina  
aut etiam relations in sui visionem sunt influxi-  
uæ , necessariò utique , non liberè sunt influxi-  
uæ . Quæ omnia cum ita sint ; confititur , ne-  
que naturaliter , neque liberè , atque adeò nullo  
modo esse naturam , relations , aut attributa  
diuina operatiua per se immediatæ visionis sui ,  
vt nostra propositio fert ; sed eam à solâ omnipot-

tentia posse originem trahere; quemadmodum reliqui effectus trahunt, quos Deus producit ad extra.

Sed verò contra nostram propositionem sic primò objicitur. Visio beatifica imago est immediata naturæ diuinæ vi conditincta ab omnipotentia, atque etiam personalitatum, reliquorumque attributorum. Ergo ab ijs omnibus immediate petit oriri: quia de ratione imaginis naturalis est nasci ab obiecto, cuius imago est. Respondeo, si de ratione imaginis rigorosa est nasci effectiue, & immediate ab obiecto, cuius imago dicitur, ut videtur sentire August. lib. 83, qq. q. 74. sepeque alibi, & cum eo S.Th. I.p. q. 93. art. 1. alijsque in locis, visionem beatificam ex rigore non esse imaginem naturæ diuinæ, attributorum, & relationum. Erit tamen imago naturalis eorum minus rigorosa, & stricta, quantum representatio quedam naturalis eorum est. Iure enim dicitur naturalis imago rei id, quod rem ipsam natura suâ representat, & exprimit; et si effectiue à re non nascatur. Quandoquidem artificialis imago, unde nomen ad naturalem translatum est, à re, cuius est imago, effectiue non nascitur. Et quidem non esse de ratione imaginis, quod physicè oriatur à prototypo, graues Theologi asseuerant. Et quibus sunt Vazq. I.p. disp. 142, cap. 4.n. 17. Ruiz tom. de Trin. disp. 64. sec. 2.n. 6. & Alarc. I.p. tract. 1. disp. 3. cap. 3. n. 14.

Secundò obiectur. De ratione obiecti intelligibilis est concursum obiectuum conferre in sui cognitionem. Sed natura diuina, personalitates, & alia attributa ut conditrix a omnipotentiâ sunt obiecta intelligibilia. Ergo ut sic non possunt non concurrere in sui cognitionem. Nego maiorem. Cuius contradictionem probaun. 124. & seqq.

Tertio obiectum. Et si per impossibile Deus non esset omnipotens, aliorum effectuum productius, nihilominus titulus obiecti esset productius visionis, seu cognitionis sui. Sicut color, aliaque huiusmodi obiecta cognoscibilis in suam cognitionem sunt influxuia; tametsi aliorum effectuum productiuia non sint. Ergo, praecisa omnipotentiā, reliqua formalitates divinae non possunt non titulus obiectorum esse immediate productiuia visionis sui. Nego antecedens. Nam enim dixi, non omnia obiecta esse productiuia cognitionis sui; et si sint aliqua. Nihil ergo mirum, quod Deus manens obiectum ex se intelligibile, non esset productius visionis sui, scilicet, quod non esset omnipotens. Est namque unum eorum, quae in quantum obiecta praeceps nequit quam sunt productiuia cognitionis sui.

Quarto obiectum. Concursus in sui cognitionem obiectuum, & immediatus, sive facultas ad illum aliorum obiectorum perfectione est nullam inuolens imperfectionem. Ergo non est, cur ea negatur, immo necessario debet concedi obiecto omnium perfectissimo, qualis est natura divina, & alia omnes formalitates intrinsecæ Deo; cui nulla non conuenit perfectione carens imperfectione, quam vocant simpliciter simplicem. Nego antecedens. Quia concursus obiectuum, vt ponitur ab Aduersarijs, conueniens obiectis in quantum talibus titulo cognoscibilitatis, sive veritatis, quam habent, imprimis non potest ratione sui esse subiectus libertati, ut supra ponebamus n. 126. Hoc autem magnam arguit imperfectionem alienam à Deo. In quo nihil actus

actus externus potest esse naturalis, & necessarius, sed prorsus liber debet esse ratione sui. Deinde non potest non transcendere omnes obiecti formalitates, vti transcendit ipsius obiecti cognoscibilitas, à qua ducit originem. Quod etiam imperfectionem secum fert repugnantem Deo. Quia Deus secundum omnes sui formalitates nequit sine imperfectione esse immediate producens ad extra. Ad id enim muneris solam habet omnipotentiam. Alioquin & ceteros effectus creatos valeret immediate producere per omnes suas formalitates: in quorum profecto productionibus non minor perfectione reluet, nec plus imperfectionis apparet, quam in productione visionis, si spectent secundum fē. Quod tamen sine absurdo dici non potest.

Præpositio 2.

<sup>131</sup> Deus titulo obiecti, nec media specie à se producta, impressaque intellectui creato habet vim ad producendam visionem beatificam.

Quoniam argumenta omnia, quæ probant, naturam diuinam, personalitates, & alia attributa, præter omnipotentiam, vim non habere effectuum per se immediate visionis beatifica titulo intelligibilitatis, quam per se habent, eodem, imo potiori iure probant, non habere vim effectuum per se immediate speciei impressæ causatiæ eiusdem visionis, ut satis superue ex se notum est, & cuique applicanti illa præsentis propositionis patet.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Deus de facto per se solum immediate, vel potius per speciem impressam concurrat ad producendam visionem beatificam.

<sup>132</sup> Concurtere per se immediate communissima Theologorum sententia est. Ita enim tenent, quotquot putant, speciem impressam Dei impossibile esse, citati iam a nobis supra q. 6. n. 89. Ex alijs vero idem tenent Molini. 1. p. q. 12. art. 2. disp. 1. Valen. punc. 2. Fasol. dubit. 8. Arrub. disp. 16. Soar. lib. 2. de Attrib. cap. 12. & disp. 30. Metaph. sec. 1. Salas 1. 2. tract. 2. disp. 5. sec. 2. n. 36. Heric. 1. p. disp. 42. cap. 3. Beccan. cap. 9. de visione q. 2. concil. 1. Atriag. 1. p. disp. 8. sec. 3. & 4. & apud eos alij plurimi. Non desunt tamen graues Doctores, qui tuncantur, visionem beatificam de facto per speciem impressam fieri. Ita Egid. Lufit. lib. 8. de Beat. 2. p. q. 3. Theodosius Similing. de Deo uno tract. 2. disp. 6. q. 4. n. 69. Gaspar. Hurt. 1. p. tract. de Attrib. disp. 10. diff. 4. Ouid. 1. 2. tract. 1. contr. 8. punc. 5. art. 3. Vazq. 1. p. disp. 43. cap. 7. Alarc. tract. 1. disp. 3. cap. 3. & ex antiquioribus alij, quos referunt Fasol. Heric. & Egidius, præter plures, qui, sententiam hanc probabilem esse, asseuerant.

Propositio 1.

<sup>133</sup> Deus de facto non per se solum immediatè, sed per speciem impressam concurrit ad producendam visionem beatificam.

Hac propositio, supposita possibiliate speciei impressæ q. 6. stabilita, inde probatur primò. Quia nos explorassimus est prouidentia diuina, quæ ad extra producit etiam ultra naturæ debitum, per causas secundas connaturales, quantum fieri potest, producere. Ob id enim ad actus supernaturales causandos non per se immediatè, vti posset, sed per habitus infusos natum eleuat: connaturalius enim sunt actus fidei, spei, & charitatis à natura instructa habitibus, quam à natura, & Deo supplente vicem talium habituum. Pariterque visio beatifica à natura instructa lumine gloriae, vt fatentur omnes Theologi. Ergo, cum species impressæ possibilis sit itidem connaturale principium visionis beatæ, prout ex doctrinâ in superioribus traditâ fatis, superue constat, ab ea utique de facto procedet ipsa visio.

Dices. Quando obiectum per se immediatè in sui cognitionem potest influere, ipsi immediatè debetur talis influxus, atque adeò connaturalius ab illo nascitur, quam ab specie impressâ: quæ ad supplendum dumtaxat obiecti deficitum est sua natura destinata. Ergo, cum Deus obiectum sit præsentissimum, ac potentissimum ad cauandam per se ipsum visionem sui, ab eo utique immediatè orietur dicta visio connaturalis, quam ab specie impressâ; etiò ponatur ea possibilis. Respondeo, antecedens huius dicti ut summum esse verum de obiectis, quæ in quantum obiecta concurrunt ad producendam sui cognitionem. Deus autem non in quantum obiectum, sed in quantum omnipotens est causatius visionis sui, vt q. 7. confeci: Quo pacto non est ei immediatè debita, atque adeò nec connaturalis productio ipsius visionis; sicut neque aliorum effectuum, qui à causis secundis sunt oriundi. Ex quo patet, tantum abesse, quod visio sit oriunda immediatè connaturalius à Deo, quam ab specie impressâ, vt potius ab specie sit oriunda connaturaliter; à Deo vero supplente vicem speciei supernaturaliter solum possit oriiri.

Hinc sumitur secunda probatio propositionalis. Nam si Deus per se immediatè non potest connaturaliter visionem beatam producere, sed solum media specie impressâ, nequaquam aliter, quam per hanc, dicendus est illam de facto producere. Quemadmodum per habitum luminis gloriae idcirco illam de facto producere asseritur; quia huiusmodi habitus principium connaturale visionis est; nec aliter, quam supernaturaliter, potest Deus eius vicem supplere. Porro Deum per se immediatè principium connaturale visionis beatæ esse non posse, inde conatur (specialiter: quia visio beatifica substantia Dei, & consequenter intellectui creato semel producta debita, & connaturalis esset; cui subinde sine miraculo negari non posset: supernaturalisque quoad substantiam non esset; imo neque materia idonea gratuitæ liberalitatis Dei. Absurda, quæ inferabamus supra q. 7. n. 125.

Tertio. Non alio modo concurrit Deus ad visionem sui, quam concurrit ad visionem, qua vnuus